

DE CATULLI CARMINE 16

Scripsit

IOSEPHUS KORPANTY

1. Primum quaeramus, quid *versiculi molliculi* (v. 3 sq.) significant. Significant idem atque *versus molles*¹ apud Ovidium: *Tristia* II 303–306 “et procul a scripta solis meretricibus Arte/ summovet ingenuas pagina prima manus./ Nec tamen est facinus *versus* evolvere *mollis*/ multa licet *castae*² non facienda legant”. Poeta Sullonensis confessus est igitur *Artem Amatoriam* lascivam³ vel parum castam esse⁴. Non est praetereundus Propertius, qui librum secundum mollem appellaverit (II 1, 2).

Aurelius et Furius e Catulli versiculis molliculis coniecerunt eum *parum pudicum* esse (v. 4). *Parum pudicus* idem fere valet atque *impudicus*, id est hoc loco significat eum, qui venere illicita⁵ fruitur, qui lascivus, libidinosus⁶, fascinosus, improbus vel profligatus est. Non me fugit adiectiva *mollis*⁷ et

¹ In loco Catulliano in aliam linguam vertendo scilicet forma deminuta respicienda est.

² Cf. Mart. III 86.

³ Cf. Ovid. *Trist.* II 313: “at cur in nostra nimia est lascivia Musa”; 345: “haec tibi me invisum lascivia fecit, ob Artes...”, cf. 349: „sic ego delicias et mollia carmina feci” (*deliciae* hoc loco carmina amatoria quoque sonant), *Ars* III 344: “elige, quod docili molliter ore legas” (*molliter* idem fere atque “lascive” sonare puto).

⁴ Cf. Varro *Menipp.* fr. 394 Astbury: “demitis acris pectore curas cantu castaque poesi”. – De re, quam tracto, aliter sentio atque Buchheit 1976: 334 et Winter 1973: 262. – Cf. *OLD* s. v. *mollis*, ubi sensus “amatorius” (lingua Britannica “amorous”) ad scripta pertinens illustratur loco Ovidiano, quem attuli, et Martialis verbis: XII 43, 4 “molles Elephantidos libelli”. Idem lexicon sub voce “molliculus” Catulli carmen 16, 4 citat docetque lectorem adiectivum illum significare “somewhat unmanly”. Qui sensus mihi rectus non videtur, cum Aurelio et Furio carmine de basiis lecto in opinionem venisset poetam *male marem* esse.

⁵ Cf. Catull. 66, 83 sq.: “...casto colitis quae iura cubili./ Sed quae se impuro dedit adulterio”; Stat. *Theb.* IX 808 sq.: “haerebat iuveni devinctus amore pudico/ Maenalius Dorceus”. – Generalis sensus pudicitiae cognoscitur e loco Ciceroniano hoc: *Cat.* 2, 25 “hinc pudicitia, illinc stuprum”. Nomen *stupri* venerem illicitam significat.

⁶ Cf. Apul. *Plat.* 2, 3: “inter pudicitiam libidinosamque vitam abstinentiam et intemperantiam posuit”.

⁷ Cf. Catull. 25, 1; Plin. *NH* XXVIII 107: “viris qui sint probrosae mollitiae”; Plin. *Epist.* IX